

101

099

105

095

110

090

150

050

200

Ende

Anfang

90

templa eorum. Et in hoc imitantur gentiles idololatras, de quibus Augustinus Lib. 10. de Civitate Dei c. 31. dicit, quod theletas et mysteria incluserint parietibus, nec licuit de eis loqui, quia deprehensi fuissent errores, si publice de eis disputassent (**106 a**) et origines deorum in notitiam populi devenissent, quia fuerunt puri homines, ut Jupiter, Saturnus etc., quos homines e coelo venisse credebant. Et ideo Aegyptii in omni templo habebant simulacrum Isis et Serapis, digitum ori habens impositum, ad innendum silentium, ne quis eos homines diceret fuisse, et qui hoc diceret, capite privaretur. Et Valerius Libro 1. narrat, quod Tarquinius rex jussit Marcum in aquam projici, pro eo, quia librum suae custodiae commissum, in quo mysteria sacrorum gentilium continebantur, transscribendum cuidam credidit. Sic et illi Sarraceni librum Machometi occultant. Et quamvis omnibus modis occultent eum a Christianis, dudum tamen Christiani eum habuerunt. Nam quidam frater ordinis Praedicatorum, Ricoldus nomine, nescio quo colore diu moratus in Baldach, ubi praecipuum studium Sarracenorum est in lege Mahometi, ad plenum eruditus in lingua Arabica Alcoranum, contra ejus ineptias pulchra scripsit, ut habeat dominus Nicolaus de Cusa Cardinalis in prologo libri de cibratione Alcorani. Sed et Sanctus Thomas contra eum scripsit ad cantorem Antiochenum de rationibus fidei. Et Cardinalis ordinis nostri de Turrecremata etiam contra Alcoran tractatum composuit. Et quidam frater minor in libro de fortalito fidei multa contra eum invehit. Sed ultimo dominus Nicolaus de Cusa Cardinalis ineptias Alcorani et stultias omnes detexit, librum nobilem contra eum scribens trium partium et multorum capitulorum, in quo, qui voluerit, poterit videre fatuissimos errores inter eximias laudes Christi, beatae Mariae, Johannis Baptiste, Elizabeth, Apostolorum et Evangelii, quae omnia valde in eo laudantur, cum immixtis pestiferis erroribus. De vita aeterna loquitur, de Inferno et Paradiiso et saepe de extremo judicio et de miraculis Christi et sanctitate eum imitantum. Sed in tota serie Alcoran numquam fit mentio de passione et cruce Christi, in quo tamen est salus, vita et resurrectio nostra et omnium sacramentorum efficacia, et scripturarum adimpletio. Ex quo patet falsitas. Sicut autem abscondunt illum librum a nobis, ne eorum fatuitates deprehendamus, sic eorum doctores praecavent et prohibent Sarracenis, ne Evan-

